

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE IN ||
PRAECIPVIS ET ALIIS TOTIVS || anni festis diebus populo
in Ecclesia proponi || solent, è ...**

Prieele, Gilles vanden

Parisiis, 1566

IN FERIIS IOANNIS APOSTOLI ET EVANGEListae Epistola.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150282

I N F E R I I S

Apoc. 1. in maiestate venientem confiteantur vel inuiti, quando
Matt. 26. videbunt in quem transfixerunt. Veruntamen dico vo-
bis: amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris
virtutis dei, & venientem in nubibus cæli.

Abstulit ergo deus Iudeis synagogam, quia ipsi prius
Matt. 21. sponsum & dominum synagogæ reliquerunt. Aufere-
tur à vobis regnum dei, &c.

*Ecclesia ca-
tholica cur-
hodie aufe-
ratur à mul-
tis.*
Abstulit quoque deus orientalibus regnis Ecclesiam, quæ in numerabilium martyrum sanguine & doctorū admiranda doctrina decorata & illustrata fuerunt: quia ipsi prius Christum clarissimum eiusdem Ecclesia sponsum dereliquerunt. Quamplurimis ciuitatibus in viciniis regionibus abstulit etiam deus abhinc quadraginta annos Ecclesiam catholicam: quia ipsi Christum & eius vicarium Romanum pontificem reliquerū: neque sunt iam inferiores miseriis & calamitatibus, ipsi Iudeis: si quidem non minus quam Iudeos deus illos odio habet, atque ad nauseam usque abominatur. à Turcis persequuntur, à Catholicis negliguntur.

E P I L O G V S.

1. *Hic habes causam occisionis omnium prophetarum, & veri
herediti Christi, & Apostolorum eius fuisse superbiæ cordu, nihil
ergo magis Christianus fideat ritare, quam tumentem & erici-
ternicem, dei contra se odium provocantem, inquit Hieronymus.*

2. *Apostolos hic vocat prophetas, sapientes, & scribas, quia do-
minus eos populo dedit doctores & rectores omni scientia & pro-
phetandi gratia ornatos, Ephes. 4.*

3. *Dulcissima similitudo, qua se Christus gallina comparat, nos
pulli, per quem soli à milii, hoc est diaboli liberi eadiem, fi-
de in Christum, sicut incredulitate excidimus, & audimus horren-
dum iudicium cù Iudeis incredulis: Relinquetur vobis domus ve-
stra deserta hac iam alle animis nostris infideant, discamisque a-
liorum periculo ritare nostrum. Poëta. Felix quem faciunt aliena
pericula cantum, dignè excipiamus legatos Christi, neque congre-
gari sinamus, ne relinquamur à domino, sed ut potius aduenturum
leti excipiamus, cùmque illo regnemus. Amen.*

I N F E R I I S I O A N N I S A P O.

S T O L I E T E V A N G E L I-
stæ Epistola.

*Qui timet deum, faciet bona, &c. Finis Epi. Eccle. 15.
stolæ nomine æterno hæreditabit illum dominus
deus noster.*

Thysigne encomium timentis Dei & iusti ho-
dierna lectio nobis proponit, quæ eam ob-
causiam in præsentibus. d. Iohannis Apo-
stoli & Euangelistæ feriis legitur ab Eccle-
sia, quod omnia illa quæ hic de timente dei & iusto cō-
memorantur, eidem Iohanni optimè conueniant, ac in
primis quidem quod inter alia legatur, quemadmodum
iustitia in medio Ecclesie aperuit os timentis dei ac iu-
sti, implueritque eum spiritu sapientia & intellectus.
nam si cuius os hoc pacto in medio Ecclesie vñquam
apertum fuit, Iohannis certe os verè sic apertum est: &
si quis vñquam impletus fuit spiritu sapientiæ ac intel-
lectus, Iohannes profectò impletus est ad hūc modum.
Id enim plus satis liber eius Euangelicus quem nobis
reliquit, testatur: ut in quo sic p̄æ aliis de ineffabili di-
uinitate, generationeque æterni verbi dei disserat, ut
ipsum cælestis sapientiæ, intellectusque spiritu plenis-
timum fuisse fateri cogamur.

1. Dicit nimirum de illo duo p̄cipua. 1. Quidnam *Timens dei*
scilicet timens dei faciat seu operetur. Sed priùs paucis *quis sit.*
considerandum, quisnam verè timens dei, & iustus sit. Is
in sacris literis timēs dei dicitur, qui veretur offendere
deum, eoque in omnibus suis bonis operibus timidus
est: & sic cum timore tremoreque salutem suam opera-
tur: hoc est, qui quidē facit quicquid deo scit esse gratū,
sed tamen nunquam se satis fecisse veretur, semper suā
imperfectionem accusans. Iustus vero in sacra scriptura
dicitur ille, qui modis omnibus iustitiæ & sanctitati in-
cumbit, tam coram deo quam coram hominibus. verū
nō sedit iustitia suæ aut meritis, sed solum Iesum Chri-
stum & huius merita pro sua iustitia ac sanctitatē agnō-
scit, habetque. Talis fuisse describitur s. Simeon. *Iustus quis*
sit. *Lucus 2.*

Si facta operæ eius quærimus, merum bonū facit,
hoc est, nihil cōmittet quod Deo dispiceat, nihil faciet,
nisi quod deo gratum esse sciat. Qui etiam sic iustus est,

I N F E R T I S.

& iusti. ix continens, is haud dubie apprehēdet iustitiā: hoc est, Christi meritis & iustitia donabitur, sicque corā deo iustus apparebit, & in dei iudicio poterit subsistere: imò tam verē certōque apprehendet iustitiam, vt & ipsa iustitia (nimirū Iesus Christus dominus noster) ei vltro occurſura fit, & amplexura illum, quemadmodum mater honorifica vngenitum charissimūque filium, ac sponsa primum suum sponsum (quem longè dilectissimum habet) amplectitur & osculatur. Sic enim clamat in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis &

Math. 11. onerati estis, & ego reficiam vos.

Et quomodo timens dei non faceret bona, quum in omnibus operibus suis semper sit pauidus, nunquā se sati pīe agere arbitretur? Proverb. 15. Per timorem domini declinat omnis à malo. Et Ecc. 7. Qui timet deū, nihil negligit. Quomodo item nō apprehenderet semper iustitiam, quum iniustitia ex animo oderit, sciātq; ipsum deum & iustum esse, & iustitiae amatorem vnicum?

Qui fructus eius iustum sequantur. Dicit quid fructus seu præmij sequatur ipsum dei timentem & iustum, tum hic, tum illic. Obuiat enim ei iustitia matris charissimæ instar, ceūque sponsum suum spōla suscipit illum, & omnia sua bona in ipsum effundit, cibans videlicet ipsum pane vita seu verbo dei, potansque ipsum aqua sapientiæ & intellectus, hoc est, omnigena gratia, spiritu vberrimo. Cibabit illum (inquit Sapientia) pane vita & intellectus, & aqua sapientiæ salutari potabili illam. Quia timens dei & iustus, agnoscens se natura & ex se esse mortuum ac prorsus stultum esse, esurit, sitiisque ex animo Christi vitam & sapientiam. sic vtraque implebitur, vt neque in vita, neque intellectu, neque in vera sapientia, ei vñquam quid defutorum sit, vt neque esuritus neque sitiurus sit in æternum.

Fruſtus secundus. Secundus autem fructus est, quod firmat continētque timentē dei & iustum iustitia, vt in pietate nō possit vacillare, non ab ea deflectere, non in peccata labi: quantumlibet satan, caro, mūdus, ad impietatem, peccataque sollicitent, cūm dicit: Et firmabitur in illo, & nō fleatur: Et timentis continēbit illum, & non confundetur. Quoniam timens dei & iustus de propriis viribus desperat, solūmque dominū sibi, propriū ponit firmamētum suū & vnicum robur, refugiumque:

idecirco sic dominus firmabit & continebit illum, vt neque flectendus, neque confundendus sit ab vlla creatura, imò vt ne ipsa inferorum portæ præualituræ aduersus illum sint, Matth. 16. Psal. 72.

Tertiùs verò fructus est, quod iustitia (Iesus Christus) *Tertius fructus.*
illū exaltat apud proximos seu vicinos: donans, sc̄u clo- *Elias.*
quætia, sapientiāque & intellectu huiusmodi, vt omnibus
aliis possit salutaria cōfilia, vt alios possit erudire, vtque
proin ab omnibus & audiatur & suscipiat. vnde sequi-
tur: *Et exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Eccle-*
sia aperiet os eius, & implebit illum spiritu sapientie & intelle-
citus, & stola gloria induet illum. Quemadmodum timora-
tus & iustus coram deo in honore magno habetur: sic
& Christus illum apud homines faciet honorabilem,
idque sapientia, intellectu & eloquentia: adeo vt ab eius
consiliis & ore vniuersi pendeant, vt ipsis etiam hostibus
suis admirationi simul & stupori sit futurus: quod nimi-
rum in B. Stephano satis claruit.

Caterūm ultimus fructus est, quod iustitia vestitura *Quartus*
illum est stola gloriae, iucunditatē & exultationem the- *iusti & ti-*
faurizatura super eum, & nomine æterno ipsum heredi- *menus Dei*
tatura, sicut textus habet, hoc est, paratura illi post mor- *fructus.*
tem æternam glorioſamque apud posteros in terris
memoriam, & perennia ineffabiliaque in cælis gaudia
ac præmia. Audiimus igitur hactenus quomodo timēs
dei & iustus habiturus sit coram deo, quomodo coram
hominibus, tā inimicis quam amicis, atque adeo in præ-
senti vita. At hīc audimus quid post hanc vitam idem
expectaturus sit, nimirum sempiternam iucunditatē, ex-
ultationem nunquam finiēdam, & nomē denique æternum:
idque non solū apud deum in cælo, verū etiā
apud homines in terris. Vide: tot tantique fructus con-
sequentur pium & iustum hominem, atque hos eosdem
in omnibus etiam piis videmus, in Stephano, in Iohanne,
& reliquis dei cultoribus. Hi igitur & nos ad timo-
rem dei & iustitiam extimulentes: vt nimirum itidem ti-
meamus offendere deum, salutem nostram cum timore
& tremore operemur, iustitiae & sanctitati per omnem
vitam studeamus, at interim nunquam nos satis iustos
esse, aut satis timuisse deum putemus, ideoque in Chri-

I N F E R I I S
stum figamus omnem spem & iustitiam nostram, &c.

E P I L O G V S .

1. Operibus bonis super Christum edificare, est sapientis & timoris Dei. Sapientis item est, candelam ardenter ferre, hoc est, rationabilis obsequio deo ministrare, non huc agitur de timore servit, de quo ait, Oderunt peccare mali formidine pene, sed de filiali, qui peccare odit saitem virtutis amore.

2. Timor dei qui sit, nempe boni operis factor, verbique Dei custos & observator, Iohann. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c.

3. Fructus timoris dei, & studij sapientiae, est inscunditas & exultatio nominisque aeterni hereditatis. Sapientie cortex amarus, sed dulcis medulla. Breuerit huc omnia que hic sapiens enumerat, significant iusti mercedem esse ineffabilem, & gaudia regni celorum illi promissa esse ineffabilia, Esa. 64. 1. Corinth. 2. 1. Pet. 1. Apo. 2. & 3.

I N F E R I I S E I V S D E M
E V A N G E L I S T A E
Euangelium.

Ioan. 21. In illo tempore. Dixit Iesus Petro, Sequere me. &c. Finis Euangeli: Et scimus quia Verum est testimonium eius.

Oc Euangelio proponuntur nobis tria.
P Ut Christo vocanti obedientes nos prestemus, & ipsum sequamur, cū ait Christus, Sequere me. Tenetur Christianus Christum sequi in doctrina, ut nihil aliud doceamus, prædicemus, teneamus, audiamus aut admittamus, quam quod Christus per totos tres annos docuit, Apostoli prædicarunt, Ecclesia Romana ab ipsis Apostolis usque ad nos tradidit, & semper tenuit, Patres à suis maioribus audierunt, Vincentij & Concilia statuerunt ac decretarunt Nam iuxta regulam illam auream diui Vincentij Lirinensis, illud est canon. Catholicum, quod semper & ubique & omnes sunt Ecclesia Romana professi.
manu verè Ecclesia Romana Pontificia verè Christum sequitur, pontificia, quia id docet quod ille docuit, prædicat quod Apostoli cur. prædicarunt, tenet quod ipsi & sui successores tenuerunt, gratiōe

gratiosè audit quod maiores eius audieunt, tenet quod sanctissima illa concilia tenendum statuerunt. Est catholica, quia nihil est in illa quod nō semper & ubique & ab omnibus verè orthodoxis receptum fuerit.

Tenetur quoque Christianus Christum sequi in vita, ut exēplo Christi admoniti, simus pauperes spiritu, mites, misericordes, pacifici, puri corde, obseruatorēs mandatorū dei. Hæc sequela versa est in tergiversationē & retrospectionem. Nam nec Christo dicenti, Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, Iohān. 8. aurem prebemus: nec sanctos, ac in primis Paulum dicentem, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, 1. Corinth. 11. sequi volumus, sed alij superbiam, alij auaritiam, alij luxuriam, alij peccata, alij Lutherum, alij Caluinum, alij Brentium, alij alios hæreticos sequimur. Tergiversantur alij atque sectantur hæreticos nostri temporis, qui non sunt ex nobis, neque de ouili Christi. Qui autem sanctos, Augustinum, Ambrosium, Dominicum, & Benedictum imitantur, hi Christum sequuntur, non ambulant in tenebris, idēquæ habebunt lumen vite. Imitantur hos patres, qui Christi vestigia sunt sequuti: itaque sunt imitatores & sequaces Christi, Philip. 3.1. Corinth. 11. Licet imitari sanctos, fide, charitate, aliisque divinis virtutibus claros. Nec idcirco quicquam detrahitur gloriæ Christi: immo multum accedit, siquidem ipsi Christi vestigia sunt sequuti. Vnde Paulus Philip. 3. Ephes. 5.1. Corinth. 4. & 11. Hebr. 6. dicebat, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Licet eorum regulas profiteri, vitamque ad eorum sanctiones instituere, ut quæ suæ rectitudinis & iustitiae Christum amissim habeant & fundamentum.

Tenetur insuper Christianus Christum sequi in morte, ut cricem nobis diuinitus impositam patienter feramus, pro iniunctio rebus, ut docet Christus Lucæ 9. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat cricem suam, & sequatur me. Qui Christum sequendū putant sine cruce, errant: nam Christus non est ingressus sine cruce gloriam suam. Sacerdotes veteris legis nō intrabant sanctuarium sine sanguine, Luc. 2.4. Christum oportuit pati, & Heb. 9.

*Qui sancti
sunt imitan-*

*Noī sine
cruce seque-
dūs Christi,*

I N F E R I I S

Priuatim verò hoc verbo , *Sequere me* , vrlst Petrum ad sui sequelam, quia cum Apostolorum principem voluit designare, vnde & alibi hac ratione nonnihil priuatim cum ipso egit. *S*éhus ergo est, scis qua via ad gloriam meam ierum, noueris idem iter & tibi tendendum.

**Dilectio for
tis, vt mors.** Morte mea mortem debilitau & vici. Fortis vt mors

**Christi &
Petri mors
similis.** dilectio. Cant. 8. Tu itaque si diligis me, ehadum vade mecum. Crucis illa via ad Patris omnipotentis gloriam tibi in salutem, Ecclesiæ vniuersali(in fide tuæ profissionis fundata) in decus æternum est futura. Apostolatus Patris mei nulla alia est ratio, ne timeas post me & mecum ire, qui mecum cupis in regno Patris mei discubere. Reliqui tui collegæ & ipsi persequitionem sustinebunt. Tu verò qui summus meus vicarius à Patre es electus, mihi similem morte patieris. Ego in metropoli Iudæorum cruci sum affixus, tu in metropoli Ethnicorum, Romæ scilicet, cruci es suspendendus. Pastorem me bonum morte mea declaravi. Ioháni. 10. Suppastor quoque vt pariendo bonitatem suam declareret, oportet. Neque enim sufficiet si in pascendo me sequatur, nisi & patiendo pro grege assecram se verum meum comprobet. Vicarius tu meus eris, idem & meus crucifixus. Sub passionem meam dixi. Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea, qui te mihi deuouisti. Matthæi. 26. In horto nolui Iudæos tibi manus inferre, nolui tibi tunc calicem meum dare necdum gloriosum, quia nondum viceram mundum. Nunc cùm videas mortem mea morte triumphantam, ipsum calicem meum gloriosum tibi non negauero, qui te confortem regni mei esse volo. Non ergo sequela hæc accipienda est solùm de passione, sed & de pastoralis officij commissione. Summum nanque Pontificem hic Petrum constituit, vnde tanta cum coegit vehementia, quoniam & magna est eius conditio-
nis sive dignitatis eminètia. De primatu Petri locuples

**D. Petri
primatus cō
stituitur.** testis est d. Chrysosto, qui hoc loco dicit Petro totius orbis terrarum curam commissam, ac si dicat Christus: Quia ego prius pro tua redemptione crucis supplicium subire nō timui, idèo tu pro mei nominis honore & cōfessione illud formidare non debes, sed loco mei gre-

gem procurare, cui te vicarium & imitatem & successorem meum relinquo. Et Augustin. in Iohannem, dicit Petrum Apostolatus primatum tenuisse, quando ait. Pasc agnos meos, & sequere me. Necessum quippe fuit ut is, qui Ecclesia vniuersaliter praferendus erat, & ceteris ardentius amaret, & perfectius imitaretur.

2. Proponitur nobis ne vocations aliorum, aut Christi facta curiosè inquiramus: siisque sua vocatione contentus. Nam Petrus conversus vidit illum discipulum quem diligebat Iesu sequentem, qui & recubuit in cena super pectus eius, & dixit: domine, quis est qui tradet te? Quibus verbis Iohannes commendatur. Primo, à discipulatus honore, quia unus ex duodecim electis, Marc. 6. Maximum est Christi verum esse discipulum. Iohan. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit.

Secundo, à singulari dilectione: non ad sui iactantiam toties commémorat se specialiter dilectum à Iesu, sed ut tanto beneficio gratus existat, & quia suauissimum sibi fuit recolere, quam affectuosè & familiariter se Iesu habuit ad ipsum. diligebat ergo eum Iesu, non exclusis careris, quum omnes diligeret, ipso testante Iohan. 15. sed præ careris, quem specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo ab eo electus, virgo in æcum permanxit. Tribus namque specialia quædam dilectionis ostendit signa, Petro, Iacobo & Iohanni, tam ad latè quam aduersa secreta eos admittens, ut in suscitatione pueræ, Marc 5. in transfiguratione, Matthæi 17. in passionis agone, Matth. 26. singularia tamen Iohanni exhibuit: unde & famosum fuit inter discipulos ipsum dilectum aut charum Iesu nominari. Atque utrinam tam syncerus amor in sanctulis nostris lateat, qui nonnunquam charos aut charas, quæ sic vocant, munusculis reciprocis sibi conciliare gaudent, quum teste Hieronymo, sanctus amor munuscula non habeat.

Sunt enim quinque verae amicitiae indicia, quæ & Christus suo charo Iohanni exhibuit. Primū, mutua cōiunctio. Hinc in cena super pectus Iesu recubuit, Iohā. 13. Non paruum in isto præclarissimo coniuicio ultimi vale, proximum esse Christo, quod cum selectis totius

1. Tim. 3. &

4.

*Quintupliciter
citer hic Iohannes
commendetur.*

*Prerogati-
na castitatis
d. Iohannis.*

*Christi a-
moris specia-
lia signa.*

*Amicitia
veræ indi-
cia.*

I N F E R I I S

mūdi fecit. Luc. 22. vbi & sacrosanctum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit.

Iude proditoris indicatio. Secundum, secretorum reuelatio. Iohan. 15. Nam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis. Omnibus turbatis soli Iohanni indicauit proditorem, Iohan. 13. Ipse quoque super peccatum illud recubuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae reconditi, Coloss. 2. Vnde & sapientiae & intellectus vberius suxit, quare altissimè super omnes de diuinitatis & trinitatis scriptis mysterio, Iohan. 1. cui status Ecclesiae in finem usque reuelatus fuit, Apoc. 1.

Voluntatū consensus. Tertium, voluntatum consensus. Iohan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Ipse autem ad domini vocantis vocem, & patrem & nūm reliquit, Matth. 4. Sic & modò hic nihil de statu suo solicitus, totum se domino commisit.

Thesaurus mundi totius. Quartum, thesauri commissio. Vnde dominus pretiosissimum & singularem thesaurum, de quo totius mundi sumpsit pretium, matrem scilicet in suo recessu tanquam fidelissimo amico commisit, Iohan. 19.

Aduersorum toleratio. Quintum, aduersorum toleratio. Eccl. 6. Si possides amicum, in tentatione posside eum. Sic ipse astitit mortenti, Iohan. 19. Exilium in Patmos insulam pro fide suscepit, Apoc. 1. Venenum babit, dolium feruentis olei superauit.

D. Petri cures. Hunc ergo discipulum quum unice diligeret Petrus, & domino cæteris chariorē semper fuisse sciret, ac tum non iussus sequeretur Petro proximus, rogat dominum quid de illo futurum esset, iam ipse de sua vocatione certior factus: & ait, Domine hic autem quid? Cunctationem & curiositatem hæc quæstio importat. Sequebatur quidem, sed & conuertebatur. Qui mittit manum suam ad aratum, ne retrospiciat. Sepeliat mortui suos mortuos: Christum incunctanter sequamur oportet. Petrus etiam hæc voluit de fratre & cōdiscipulo suo cognoscere quānam ille morte ad gloriam regni celorum esset transfigurus. Et dicit ei Iesus, Si cum volo manere donec veniam, quid ad te tu me sequere.

Ex his verbis elicitur quod humana ratio facta diui-

na semper ineuestigare praesumat. Nam Petrus vocatus a Christo ut ipsum sequeretur, quid de Ioanne facturus sit, interrogat, quasi rationem postulans illius discretio-
nis Hinc vetat scripture, ne ea quae captum nostrum ex-
cedunt, inquiramus. Eccl. 3. Quid necesse est homini ma-
jora se quærere? Isa. 40. Sapient. 9. Rom. 11. O altitudo di-
uinitatum sapientia & scientiae dei, quam inscrutabilia
sunt iudicia eius, & ineuestigabiles viae eius!

Elicitur proinde ex his verbis, quod mortales inter-
dum solliciti de aliena salute, propriæ obliuiscatur. Nam
Petrus cum ad vitam a Christo vocaretur, non ineuestigio
sequitur, sed de Iohannis statu sollicitus, quid de illo sit
futurum sciscitur, cum sua nihil interesset hoc scire,
sed Christum sequi, eique obtemperare. Hinc ait Christus per Salomonem, Proverb. 1. Vocati & renuisti.

*Ratio ha-
mana veri
diuinarnm
percuncta-
trix.*

*Isai. 65. 8.
Tere. 7.*

Insuper ex his verbis elicetur, quod nemo sua sorte sit
contetus, sed aliis vel inuidet, vel succenseat. Nam Pe-
trus quasi iudicans conditionem Iohannis meliorem,
rogat, Domine hic Iohannes quid faciet? quare & ego
cum illo, sicuti ipse manserit, non manebos? Hinc aiunt
poëtae, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus,
Horat. lib. Epist. 1. epist. 14. Fertilior seges est alienis
semper in agri, Vicinumque pecus grandius vber ha-
bet, Ovidius. Vnde saepe peccatur in hoc proverbiū,
Ne futor ultra crepidam.

Ex hac Christi doctrina docentur Christiani, Primò
quod debeant iuxta Pauli sententiā intellectum in ob-
sequium fidei captiuare, & diuina facta admirari, & re-
uereri, sunt enim quamplurima sacramenta atque diuina
facta, quorum ratio ideo nobis est occulta, vt inde hu-
miliemur, atque ad orandum pro intelligentia excite-
mur, quemadmodum docet Paulus, 1. Corint. 10. Captiuantes intellectum in obsequium fidei. Et Daniel inter-
pretatus mysteria statua Nabuchodonosor, humilia-
tur & orat, Daniel. 4. David Psal. 118. Renuela oculos me-
os: & considerabo mirabilia de lege tua. Habacuc cap.
3. Domine consideravi opera tua, & expau.

*Facta que-
dam diuina
cur nobis
occulta.*

2 Docentur, quando Christus nos vocat, continuo ip-
sum nos debere sequi, idque animo tam prompto, ut vel
patre ac matre reliktis ipsum sequamur. Est habenda ra-

I N F E R I S

tio proximorū ea tantum quæ nos à Christo sequendo
remorari non possit, quemadmodum Matthæus voca-
tus à Christo prætereunte, relicto telonio mox sequu-
tus est nihil interrogans, Matth. 9. idem Petrus & An-
dreas faciunt relictis, retribus, Matth. 4. Luc. 5.

3. Docentur varias esse Christianæ militiae vocationes.
debet igitur unusquisque illam tenere, ad quam voca-
tus est. Nec putemus eos otiosos esse qui ad nostram
vocationem non sunt vocati.

4. Docentur Christiani, quod non omnes eodem mo-
do Deus tractet, sed de singulis prout visum est, experi-
mentum capit. Hinc alios dedit Apostolos, alios Eu-
angelistas, alios doctores, alios pastores, alios martyres,
alios confessores, &c. Ephes. 4. Apostolos atque marty-
res variis affecit suppliciis, alios sanctos summa pace ad
vitam vocavit. Ita modò quosdam Christianos affigit,
alios laxificat: quosdam pauperes, alios diuites, quosdā
languidos, alios integra valetudine ad se sequendum in-
uitat. Omnes eo modo quo nos vocat, ad ipsum curramus,
per infamiam & bonam famam, per gloriam & i-
gnobilitatem.

2. Corin. 6. 5. Hoc Euangeli proponitur, Deum non tantum do-
minum esse mortis ac vita, verum etiam singulis mor-
talium mortem pro sua voluntate ordinare, cùm ait:
Si cù volo manere donec veniam, quid ad te tu me sequere. Non
negat dominus Iohannē per passionē sequi, cùm Matthœi
vigesimo dicat: *Calicem quidem meum bibetis.* & Act.
quinto, Iohannes inter eos fuit, quibus cæsis Iudæi de-
nuntiauerunt, ne in nomine Iesu loquerentur, sed su-
peruacuum Petri curam corrigit, quasi dicat: *Potero cù*
exemplo Enoch & Helia in finem mundi viuum à mor-
te præseruare, quod si fecero, nihil hoc ad te. Tuum non
est scire huiusmodi mysteria, tua interest tuæ satagere
vocationis, & videre quæ illi ritè respondeas. Te ad
crucem voco, ego de aliis videro. *Exiuit ergo sermo in-*
ter fratres, quod discipulus ille non moritur, &c. Ex his ver-
bis liquet 1. Christi potentia atque prouidentia in vi-
ta & morte mortalium ordinanda. Nam Christus sua
inscrutabili sapientia vult Petrum ad mortem crucis,
martyriumque vocare; vult etiam sua diuina prouiden-

*Sanctorum
varia consi-
ditio.*

*Petri cura
superuacua
corrigitur.*

*Prudentia
Christi in
vita et mor-
te.*

tia ad aliud mortis genus Iohannem reseruare. Iuxta verbum Christi utrumque cuenit: Ille Roma crucifixus, hic Christum usque ad excidium Solymorum in Iudea predicauit. Post urbis deuastationem in Asia crucis vexillum statuens, citra martyrium ibi in Christo obdormiuit. eius sepulchrum manna scaturire fertur. Opiniones varias de Iohanne omittimus, tenetes quod iuxta Apostoli dictum, qui ait constitutum esse omnibus semel mori, & Psal. Quis est homo qui non videbit mortem? mortem gustauerit. Vide Eusebium libro. 3. cap. 1. & 31. qui dicit Iohannem in Epheso episcopalem mitram (quam Petalon vocat) gestasse, atque ibi in domino obdormiuisse, hoc est, iuxta Christianorum dialecton, è vita migrasse. Ceterum ex hac vita profectum affirmat temporibus Nerus Cesari, qui illum ab exilio Patmos, ubi tyrannide Domitiani exulabat, liberum remisit. Vide eundem lib. 3. cap. 18. 20. Hyeronimus dicit eum in Epheso consenuisse, tandem senio grauatum, circa annum domini 68. humanis excessisse. Et Tertullianus affirmit in fervens coniectum oleum, atque illas sum exiisse. Colliginus ergo, Manere, hic non significare à mortis debito absolui, sed non mori ad exemplum Christi, uti Petro predixit. Vnde & Ioannes Apost. hoc loco eam opinionem abstulit, ac sensum non orthodoxum correxit: quod nisi praestitisset, error ille usque ad nos quoque esset propagatus.

Hæc doctrina instruit omnes Christianos, atque admonet, ne dicamus nos hoc vel illo mortis genere mortitulos: nec putemus mortem quantumvis ferocem atque enormem Deo oscitante mortalibus accidere: quia nihil ipse curet, sed fato hoc relinquat. sicut enim vita est author, ita & mortis est ordinator. Discamus igitur omnes, 1. Non curare cuius qualitatis sit hominis mors: nec quenquam perturbet quod hic parietis ruina oppressus, ille gladio confosus, alius ignibus absensus, alius securi percussus intereat. Siquidem scriptura clamat, Iustus si morte præoccupatus fuerit, in frigorio erit.

2 Ex his verbis liquet, discipulorum, omniumque hominum natura, siquidem ex verbis Christi perpetram in-

Heb. 9.

*Obdormire
quid.*

*Institutio
Christianæ
de morte.*

Sapiens. 4.

D iiiij

I N F E R I I S

tellectis, euulgant rumorem falsum. Nam Christus Petro interroganti de Iohâne, refpondet: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Inde interpretantes suo sensu verba domini inferunt Ioannem non mortitum, &c. Hæc doctrina instruit omnes Christianos atque admonet, non ita facilè cuius licere verba Christi suo sensu interpretari. Nam si Apostoli ac discipuli, quibus nota fecerat omnia, qua audierat à patre suo, in illo verbo interpretando ita allucinati sunt: quid nobis contingit, qui non sumus adeò familiares? Si domestici mentem domini non intelligunt, ciues quid facient?

Christi verba non sunt proculiusque sensu interpretanda.

Hereticis cur non datur verba Christi tractare.

1 Corin. 2.

Discamus igitur omnes 2. Non proprio spiritu verba Christi interpretari: nam sicut Paulus docet, nemo cognouit quæ sunt Dei, nisi qui spiritum eius habet. Docet idem Corinthios negotia ac verba spiritualia spiritualibus hominibus tractanda, intelligenda, atque determinanda proponere. 1. Corinth. 2. Hinc etiam discamus, hereticos verba domini intelligere nec debere, nec posse: quia non spirituales, sed carnales sunt & animales: nec possunt intelligere mysteria Ecclesiæ, quia non habent Spiritum Dei, sed Satanæ, cuius sunt filii ac serui, à quo captiuū tenentur ad ipsius voluntatem. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.

E P I L O G V S.

1 *Exemplum respicientium alienam vocationem & aliena opera fugitandum, cùm intrepidè oporteat sequi vocantem Christum. Melior est enim obedientia quam rictima.*

2 *De voluntate nostra frangendam in Dei voluntatem. Sæpe enim non voce de celo, non per prophetam, non per reuelationem vel somnium vel excessum mentis, sed rebus ipsis accidentibus, aut ad aliud quam statu ramis vocantibus, cogimus agnoscere Dei voluntatem aliam quam erat nostra, Augustin. Epist. 65. ad paulinum & Therasiam.*

3 *Authoritas Iohannis Evangeliste, & testis dignitas, qui recubuit super peccatum Iesu, qui scripsit haec, caius testimonium verum est, qui totus hoc spectat, vt credamus in nomen unigeniti filii Dei, & vt credentes vitam habeamus per nomen eius.*

I N F E R I I S I N N O C E N T U M

E P I S T O L A.